

tabam et me tenere Romanum usum, quia scripta, quæ legi in Frantia, de eodem loco cogitavi advolasse. Etiam hinc angebar amplius, quoniam audivi hic in isto palatio proferre tempore domni Karoli, quod consuetudo Romanæ ecclesiæ licentiam nobis daret in mensibus declaratis quattuor temporum per unamquamque sabbati duodecim lectiones et consecrationes caelebrare. Quos ego secutus olim, ita feci, suadentibus clericis ecclesiæ Treforicæ¹, insuper referentibus, quod Ricbodo ita faceret, necessitate cogente. In secundo mense, ubi scriptum est: 'secunda sabbati, tertia sabbati', causa necessitatis consecravi presbiterum, nesciens tamen, cur hoc facerem, nisi quia audivi ceteros ita fecisse, et cogitabam semper animo, quomodo potuisset fieri, quod sine ratione aliqua præfixi essent descripti dies, qui vulgo vocantur apud nos quattuor temporum. Modo video observare, ut scriptum est, illa tria tempora, nisi necessitas alias cogerit, id est quinti mensis secunda sabbati, septimi mensis tertia sabbati, decimi mensis quarta sabbati, nisi aliquoties inpediat nativitas domini nostri Iesu Christi, et faciat in tertia sabbati celebrari. Sed in ancipiti tramite nuto de primo mense, qui aliquoties exercetur tali consecratione prima sabbati, aliquoties secunda sabbati. Quid amplius dicam secundum arbitrium uniuscuiusque potestatem habentis? Quapropter precor nostræ parvitati intimari a vestra celsitudine, si simili modo licitum sit nobis ceteras festivitates mutare, quas tenemus a Romana consuetudine, sicuti est pascha, sicuti est quadragesimale tempus. Nam et de his refert tripertita historia in libro nono², capitulo XXXVIII³ aliquando ecclesiam dissonasse. 'Quidam', inquit, 'observabant quarto decimum⁴ diem, quidam sabbati⁵ custodiebant, aliqui voluerunt Iudeos sequi in sacra festivitate, alii declinaverunt dicentes, post æquinoctium caelebrari, dum sol esset in ariete'. Similiter et in ipso ieiunio ante pascha diversa sentiebant, ut in eodem libro et eodem capitulo refertur. Romani enim tres⁶ septimanas ante pascha ieiunabant, præter sabbatum et dominicam, Alexandria sex, alii vero septem, et cetera multa diversa fuerunt. Quæ omnia studuerunt sancti patres ad concordiam unius consuetudinis revocare, et si non per omnia regna, tamen in propinquis locis, utpote nos qui propinqui⁷ sumus Romæ atque in eodem regno sub beatissimo et piissimo principe Hludovico, quem Deus ita hic gubernet, ut hinc illum ciendo celestes cives cum gaudio

1) Id est Trevirensis. Cf. Migne, P. l. 99, 888: Amalarius Treforum episcopus. 2) 'octavo' Hs. 3) Cassiodorius l. c. ed. Garet I, 323. 4) 'quartumdecimum' Cass. 5) 'sabbatum' Cass. 6) Cass. 'sex'. Am Rande: 'Ed. Niv. et Frob. tres'. 7) 'pro' von zweiter Hand nachgetragen.